

125 triennioque continuo nihil amplius quam emendare ut reli-  
qua vita tantum philosophiae vacaret. sed cum ingressus  
iter Athenis occurisset Augusto ab oriente Romam rever-  
tenti destinaretque non absistere atque etiam una redire,  
dum Megara vicinum oppidum ferventissimo sole cognoscit,  
130 languorem nactus est eumque non intermissa navigatione  
auxit ita ut gravior aliquanto Brundisium appelleret, ubi  
diebus paucis obiit XI Kal. Octobr. Cn. Sentio Qu. Lucretio  
coss. ossa eius Neapolim translata sunt tumuloque condita,  
qui est via Puteolana intra lapidem secundum, in quo disti-  
chon fecit tale:

‘Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc  
Parthenope; cecini pascua rura duces.’

heredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum fratrem  
alio patre, ex quarta Augustum, ex duodecima Maecenatem,  
140 ex reliqua L. Varium et Plotium Tuccam, qui eius Aeneida  
post obitum iussu Caesaris emendaverunt. de qua re Sulpicii  
Carthaginensis exstant huiusmodi versus:

125 tinuo nihil aliud quam (*K*, quod? *C*) emendare ut post  
philosophiae vacaret.

126 sed cum ingressus  
iter Athenis occurisset Augusto ab oriente Romam rever-  
tenti destinaretque non absistere atque etiam una reddire  
(*CK*) ferventissimo sole languorem incidit eumque non inter-  
missa navigatione hausit graviorque Brundusium (*C*, Brun-  
dusium † *K*) appulit ubi diebus paucis obiit

133 ossa eius Neapolim translata sunt tumuloque condita,  
qui est via Puteolana intra secundum lapidem in quo disti-  
chon est, quod ipse fecerat:

‘Mantua me genuit. Calabri rapuere, tenet nunc  
Partenope; cecini pascua rura duces.’